



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. III. An, & quo pacto siliij illegitimi, & etiam legitimi Presbyterorum à beneficijs paternis, & Ecclesiæ paternæ arceantur, & quis ijs dispensare possit?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

§. III.

An, & quo pacto filii illegitimi, & etiam legitimi Presbyterorum à beneficiis paternis, & Ecclesia paterna arceantur, & quis cum iis dispensare possit?

Filii Presbyteri, aut etiam alterius Clerici, etiam in minoribus constituti, illegitimè natus non potest ullum beneficium obtinere, neque quoquo modo ministrare in Ecclesia seculari, in qua Pater ejus Episcopatum, Præposituram, Decanatum, Parochiam, Canonicatum, aut aliud beneficium Ecclesiasticum perpetuum obtinuit *c. 2. 3. 4. 15. 16. b. 1.* tum quod indecorum sit, in eadem Ecclesia Patrem & filium spurium cum publicâ paternæ incontinentiæ infamiam spectari, tum quod oderit Ecclesia speciem quamcunque hæreditariæ successionis in beneficiis: quin imò ob hanc posteriorem rationem nec filius Clerici legitimè natus (ex legitimo matrimonio v. g. ante assumptum Clericatum natus) Patri suo in beneficio, quod in titulum obtinuit pater, & per se, vel per Procuratorem possedit, immediatè succedere potest (uti habetur in *c. ad extirpandas 11. b. 1.* quamvis nunquam in Ecclesia illa ministraverit, aut ullos fructus percepit, absque dispensatione ab ipso Pontifice obtenta *c. dilectus 17. b. 1.* & quamvis de nepote in linea recta descendendum multi negent, quod possit post mortem Patris sui suo avo immediatè succedere in beneficio, cum in tali casu species hæreditariæ successionis locum habeat; alii tamen sunt, qui probabiliter contrarium dicunt, & successionem

in tali casu permittunt, cum in materia prohibitoria, velut odiosâ nomine filiorum, de quibus jura loquuntur, non veniant nepotes; de nepote tamen in linea laterali, quod in beneficium sui Patris vel Avunculi succedere immediatè possit, vix dubitatur, & ex *c. ex parte 12. de offi. deleg. defumitur*, nec enim inter collaterales tanta est necessitudo successionis, quanta est in linea recta; & hinc ab omnibus conceditur, quod frater fratris immediatè in beneficio succedere possit; prout etiam facillè concedunt omnes, quod successio fieri possit inter Patrem, v. g. & filium legitimum, si alius intermedius in beneficio Patri successerit, uti patet ex *c. ex transmissa 7. b. 1.* quia in hac mediata successione non est species aut periculum successionis hæreditariæ ob intermediam personam extraneam inter patrem & filium.

§. IV.

Quid jure novo statutum sit circa successiones filiorum illegitimorum in Ecclesiis, vel beneficiis paternis?

Circa successionem filiorum illegitimorum in paternis Ecclesiis, & beneficiis, de jure novo alia statuta sunt, & priora jura decretalium, in aliquibus correctata sunt: & primò quidem in *Clementina ad Canonum conditorem*, quæ habetur apud *Quærantam in summa Bullarii V. illegitimi & à Clement. VII. 1533.* emanavit, prohibetur simpliciter, ut ne de cætero filii Presbyterorum ex fornicatione nati, quæcunque Ecclesiastica beneficia, cum cura, vel sine curâ secularia, & quorumvis ordinum regularia, quæ